

ANDREAS SAMPERS

ITER PATRIS IOSEPHI PASSERAT IN BELGIUM  
post expulsionem Vindobona, an. 1848

Aliquot abhinc annos in his foliis locuti sumus de consilio inito an. 1957 cum defleto RP.e Ios. Löw edendi fontes et publicandi studia circa vicissitudines Congregationis in Imperio Austriaco a suppressione an. 1848 usque ad plenam reconstitutionem an. 1854 (1).

Elucubrations iam vulgatas ad hanc historiae nostrae periodum attinentes ibi enumeravimus, addentes alium articulum quo relationes quasdam de expulsionem Vindobona an. 1848 edidimus, peculiari modo elucidantes aerumnas quas P. Passerat, Congregationis Transalpinae Vicarius generalis, in illa rerum eversione patientia heroica perpessus est (2).

In illis notitiis secuti sumus venerabilem senem a die 6 aprilis, quando circa horam decimam collegium apud ecclesiam « Maria Stiegen » sempiternum valedixit, refugium quaerens apud sorores Bieringer, peregrinantem postea per varia alia refugia, usque dum die 14 aprilis inexpectatus advenit ad collegium in Altötting (3).

In hoc studio comitari volumus P. em Passerat, iter suum prosequentem in Belgium, narrantes ea quae fecit et quae ei acciderunt ab adventu in Altötting usque ad diem 9 maii, quo die ad collegium Leodii (Liège, Belgique) pervenit (4).

Vixdum P. Passerat ab aerumnis perlatis se aliquomodo refecisset, et probabiliter post consultationes institutas cum aliis

---

(1) *Spic. hist.* 12 (1964) 19.

(2) *Relationes quaedam de expulsionem Congregatorum ex Wien, an. 1848, et de aerumnis a P. e Passerat tunc perlatis*: *Spic. hist.* 12 (1964) 19-75.

(3) In epistula P. is Ios. Reyners ad P. em Leop. Ottmann, Altötting 20 IV 1848 (vide *Spic. hist.* 12 [1964] 24 n. 36), notatur P. em Passerat una cum domestico Monialium OSSR Ignatio in Altötting advenisse (cfr. *ibid.* 26 et 27). H. GIROUILLE, *Vie du vén. P. Joseph Passerat*, Paris 1924, 607, dicit novicium Eduardum Scheby illos comitatum fuisse; quod certo erronee asseritur, quia Fr. Scheby tunc noviciatum perfecit in Altötting, ubi die 10 VI 1847 veste Congregationis indutus fuerat (*Chronik des Hauses Altötting* II 118 et 119). In epistula P. is Mich. Heilig ad P. em Franc. von Bruchmann, Lüttich 14 V 1848 (vide *Spic. hist.* 6 [1958] 356), ultimo notatur: « Reverendissimus [Passerat] sagte mir auch, daß er einen ausgezeichneten Novizen — sein Vorname ist Karl [Zirnig] — nach Altötting gebracht habe »... (haec ultima epistulae pars in transcriptione, *ibid.* 357-358, omissa est). - Notitiae biographicae Eduardi Scheby et Caroli Zirnig dabuntur infra in Appendice.

(4) Cfr GIROUILLE, o. c. 607-609.

Patribus qui iam prius Vindobona ad Altötting pervenire potuerant (5) et cum P.e Francisco von Bruchmann, Superiore Provinciae Austriacae in Altötting residente (6), die 17 aprilis epistulam dedit P.i Hugues (7), socio Procuratoris generalis pro negotiis Congregationis Transalpinae, Romae degenti (8). Gaudium exprimens de fuga feliciter peracta, rogavit ut ipsi obtineret amplas facultates a suprema Romana Auctoritate, in adiunctis temporis et loci necessarias ad regimen Congregationis bene exsequendum (9).

Urgebat tamen statim consulere animabus Congregatorum in mutatis vitae adiunctis, antequam facultates romanae obtineri poterant. Ideoque P. Passerat P.i Provinciali von Bruchmann quasdam dispositiones dedit circa observantiam votorum tempore dispersionis, praesertim quoad paupertatis votum. P. Bruchmann epistula circulari diei 3 maii Vicarii dispositiones subditis suis communicavit (10).

P. Ios. Reyners (11), qui P.em Passerat in viciniis urbis Vindobonae frustra quaesierat, paucos dies post adventum Vicarii ipse ad Altötting pervenit (12). Mox P.i Leop. Ottmann (13), Superiori Provinciae Helveticae (14), longam misit epistulam sub die 20 aprilis, edocens eum circa sortem Vicarii generalis et Con-

(5) P. Martinus Schöllhorn ad P.em Ignatium Wittersheim, Altötting 10 IV 1848: « Der Hochw. P. Smetana ist hier seit gestern ». Copia in epistula P.is Ottmann ad P.em Heilig, Fischenberg 18 IV 1848. Orig. epistula P.is Ottmann conservatur in arch. Prov. Belgicae, Bruxelles [abbrev.: APr.B]; photocopia in arch. gen. CSSR, Romae [abbrev.: AG]. - In *Chronica Provinciae Germanicae, postea Germaniae Superioris* 152 (ms in AG Pr. GS) varii Patres an. 1848 ex Austria in Altötting advenientes enumerantur.

(6) Notitiae biographicae P.is Bruchmann datae sunt in *Spic. hist.* 6 (1958) 354 n. 2, 14 (1966) 246 n. 2 et 286 n. 86, 15 (1967) 6 n. 9 - RM Ripoli confirmavit epistula diei 8 XI 1847 ad VG Passerat (AG XII B 31) electionem P.is Bruchmann in Superiorem Provinciae Austriacae. Paulo ante, epistula diei 14 VI 1847 (AG XII B 29), P.em Bruchmann Rectorem constituerat domus in Altötting, tunc in collegium erectae (cfr *Spic. hist.* 4 [1956] 197).

(7) Infra Doc. 1.

(8) Notitiae biographicae P.is Hugues datae sunt in *Spic. hist.* 2 (1954) 253 n. 73, 12 (1964) 20 n. 6.

(9) Facultates desideratae eadem sunt, quas iam in libello supplici diei 24 III et epistula ad Hugues diei 26 III postulaverat; cfr. *Spic. hist.* 12 (1964) 21 nn. 15 et 16.

(10) Infra Doc. 2.

(11) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 12 (1964) 21 n. 9.

(12) Mandato P.is Pauli Reyners, noviciorum magistri in St-Trond, novicius Henricus Giesen mense aug. 1848 narrationem P.is Ios. Reyners circa expulsionem Vindobonae etc. exscripsit. In hac relatione dicitur: « J'arrivai enfin au commencement de la Semaine Sainte à Altötting ». Feria II post Dom. Palmarum an. 1848 incurrebat in diem 17 aprilis. - Originale relationis (in forma epistulae diei 24 VIII 1848) in APr.B; copia in AG.

(13) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 12 (1964) 25 n. 40.

(14) Eadem epistula, qua RM Ripoli electionem P.is Bruchmann in Superiorem Provinciae Austriacae confirmavit (supra not. 6), etiam electioni P.is Ottmann in Superiorem Provinciae Helveticae confirmationem dedit (AG XII B 31).

gregationis in Austria (15). Copia huius epistulae a P.e Ottmann P.i Hugues transmissa est, qui interea apud ipsum conquestus erat, se circa expulsionem Vindobonae peractam notitias a confratribus non recepisse, id quod Romae admirationem movebat (16). P. Hugues pro sua parte copiam epistulae P.is Reyners P.i Sabelli in Pagani transmisit, ut Superiori generali necessariam informationem praeberet (17).

Decem diebus demorationis suae in Altötting P. Passerat, proprias aerumnas obliviscens, maxime consuluit confirmationi filiorum suorum in religiosa submissione divinae voluntati, exhortans eos ad perseverantiam. Notatur in Chronica domus de Altötting (18):

Nach der grausamen Verfolgung aus Wien kam der ehrwürdige Greis und unser allgeliebter Vater hierher. In den wenigen Tagen, die er bei uns zubrachte, hielt er uns einige Konferenzen und forderte uns nach der Lehre Jesu zur Freude und zum Frohlocken auf, weil wir jetzt eigentlich bloss um des Namens Jesu willen verfolgt würden. Er ermunterte ferner uns zur echten Demut und christlichen Feindesliebe und zur Beharrlichkeit und erklärte endlich, wie wir bei etwaiger Trennung Redemptoristen bleiben sollen und können und gab besonders in Betreff des Gelübdes der Armut die nötigen Erklärungen und Dispensen.

Idem sublimis spiritus religiosus, quo P. Passerat semper conabatur seipsum et confratres suos conformare voluntati divinae, etiam in eventibus maxime contrariis, egregie elucet in epistula in festo Paschatis P.i Wenceslao Zyka (19), parochi in Frohnleiten (20), data (21). Sollicitudine paterna Deus provide-

(15) Epistulam originalem P.is Reyners non invenimus. Copiae habentur nonnullae; est etiam typis cusa; cfr. *Spic. hist.* 12 (1964) 24 n. 36.

(16) Hugues ad Ottmann, Roma 18 IV 1848. Copia in arch. Prov. Lugdunensis, Lyon [abbrev.: Apr.L.]; photocopia in AG. - In PS huius epistulae: « Jetzt bringen die italienischen Zeitungen unsere Vertreibung aus Wien und da man mir nicht mehr schreibt, so kann ich nicht einmal widersprechen. Auch schäme ich mich zu einem Cardinal zu gehen, weil Niemand begreift, daß ich nicht darüber unterrichtet bin; ebenso ging es mit der Schweiz und Altöttingen ». - Die 29 IV P. Hugues nondum notitias a confratribus acceperat, ut dicit in epistula illius diei ad P.em Sabelli (AG XII C 133).

(17) P. Hugues bis copiam epistulae P.is Reyners P.i Sabelli transmisit; diebus 13 et 15 maii 1848.

(18) *Chronik des Hauses Altötting* II 137 N. 82. - Hanc notitiam aliasque ex Chronica humanissime nobis transmisit RP Eng. Zettl, Prov. Monacensis tabularius, qua de re sincerimas gratias ei agimus.

(19) ZYKA Wenceslaus; \* 13 X 1803 Patzau, Kronland Böhmen, Österreich, dioec. de Budweis, nunc Pacov, Československo, dioec. de České Budejovice; vest. 31 X 1826 Wien-Weinhaus, prof. 18 III 1828 Mautern, sac. 1 VIII 1830 Graz; † 17 IX 1876 Ketzelsdorf (apud Zwittau, Moravia). - Cat. XI 1, 8 n. 55; AG Pr.A XII 5 b (notitiae biographicae); MADER 457-463.

(20) De actuositate salutari P.is Zyka in Frohnleiten, cfr *Spic. hist.* 12 (1964) 155 ss.

(21) Infra Doc. 3.

bit necessitatibus eorum qui in Ipso confidunt; omnia electis saluti sunt.

Uti P. Passerat in epistula ad P. em Zyka annuntiaverat (22), altero die, i. e. die 24 aprilis, feria II post festum Resurrectionis Domini (23), ab Altötting profectus est (24). Una cum Vicario iter aggressi sunt PP. Iosephus Reyners et Hubertus Smets (25) et Frater cler. Eduardus Scheby (26), neoprofessus (27).

Circa ipsum iter vel potius circa modum modestum quo pius comitatus, quamquam vestibis saecularibus indutus (28), iter perfecit, habemus testimonium P. is Reyners (29):

Notre voyage fut, on ne peut mieux; seulement nous eûmes de la peine à celer le caractère de notre bon vieux papa, le Vicaire Général. Un jour que nous montions le bateau à vapeur, le voilà qu'il commence à crier: « Pater, Pater, wo bist du »? Puis une autre fois son long chapelet lui tomba sur la rue; enfin un jour en entrant dans la vigilante (30), voilà son grand bréviaire qui tomba et avec lui s'éparpillent toutes sortes d'images y contenes. - Il a voyagé en priant et quand il voulait prendre une petite précaution, pour cacher sa piété, il se mit simplement son mouchoir devant la bouche pour qu'on ne vit pas le pieux mouvement de ses lèvres (31).

Viatores in urbe Frankfurt am Main recepti fuerunt a celebri pictore Eduardo von Steinle (1810-1886), qui post viginti annos cum veneratione memoriam P. is Passerat tenuit (32). Die 3

(22) In epistula Reyners ad Ottmann diei 20 IV 1848: « Moi et le Père Vicaire Général comptons de nous mettre en route lundi prochain (Ostermontag) pour Liège ».

(23) Erronee GROUILLE, o. c. 608: « Il demeura dans cette fervente communauté d'Altötting jusqu'au mardi de Pâques, 24 avril ».

(24) *Chronik des Hauses Altötting* II 138 N. 82: « Von hier aus reiste er [P. Passerat]... nach Belgien ab am Ostermontag, den 24. April ».

(25) SMETS Hubertus (1802-1870); cfr *Kurze Lebensbilder der verstorbenen Redemptoristen der Ordensprovinz von Nieder-Deutschland* I, Dülmen i. W. 1896, 34-35 et *Monumenta Historica. Bijdragen tot de geschiedenis van de Nederl. Prov. der Redemptoristen* 2 (1950) 182-183.

(26) Notitiae biographicae Eduardi Scheby dabuntur in Appendice.

(27) Scheby vota emisit die antecedente perfectioni ab Altötting, 23 IV; probabiliter in manus P. is Passerat. - Erronee notatur in Cat. XIII 75 n. 542, Scheby vota emisisse in *St-Trond*.

(28) Cfr *Monumenta Historica. Bijdragen...* 2 (1950) 85 circa traditionem postea, ut videtur, ortam, P. em Passerat an. 1848 ad collegium in Wittem pervenisse in veste caementarii.

(29) In relatione Reyners-Giesen; vide supra notam 12.

(30) *Vigilante*. Le mot ne se trouve pas dans LITRE et LAROUSSE. En usage en Belgique au XIX<sup>e</sup> siècle pour *voiture de louage, fiacre*.

(31) Vide etiam relationem P. is Franc. Ratte (infra not. 43), insertam in *Processu ordinario beatificationis S. D. Ios. Passerat* (infra not. 45), *Pars altera Summarii*, p. 119 §§ 41-42). P. Ratte citat testem P. em Reyners in parte relationis suae, qua singularia circa iter narrantur.

(32) Cfr *Spic. hist.* 6 (1958) 353.

maii Aquisgranum advenerunt (33), ubi Vicarius generalis sine dubio salutaverit familias PP.um Geller (34) et Fey (35), cum quibus an. 1834 amicitiam contraxerat (36).

Nuntio adventus Vicarii generalis Aquisgranum in collegio de Wittem accepto, P. Michael Heilig (37), Superior Provinciae Belgicae (38), qui ad interim etiam Rectoris munere fungebatur in Wittem (39), Aquisgranum se contulit (40) et die 4 maii P.em Passerat sociosque ad collegium wittemiense conduxit (41). Iter ab Altötting ad Wittem viatores ergo confecerunt decem dierum spatio.

Quamquam in chronicis domus in archivo collegii de Wittem conservatis adventus et demoratio P.is Passerat non commemorantur (42), certo tamen constituerunt magnum eventum in historia venerabilis collegii. Salutationem invenimus descriptam in relatione P.is Francisci Ratte (43), tunc in Wittem studentis (44), inserta in Processu beatificationis P.is Passerat. Exscribimus partem relationis (45) :

(33) *Chronica Provinciae et Collegiorum [Prov. Belgicae]* (ms in AG Bibliotheca 9, 1) II 359.

(34) Franciscus GELLER (1798-1875), oriundus Aquisgrano; notitiae biographicae in *Spic. hist.* 10 (1962) 378 n. 10. - An. 1848 P. Geller adscriptus erat collegio in St-Trond, *Chronica Provinciae et Collegiorum [Prov. Belgicae]* III 23.

(35) Iosephus FEY (1805-1881), oriundus Aquisgrano; notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 249 n. 56. - P. Fey ann. 1841-1848 in America commoratus est, unde die 29 VIII 1848 in Europam rediit. I. WUEST, *Annales CSSR Prov. Americanae* I, Ilchester 1888, 88-90, 200. Die 27 IX 1848 P. Fey advent in Wittem; *Chronica Prov. et Coll. [Prov. Belg.]* III 30.

(36) Cfr *Spic. hist.* 15 (1967) 151.

(37) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 252 n. 70 et 6 (1958) 354 n. 1.

(38) Eadem epistula, qua RM Ripoli electionem P.is Bruchmann in Superiorem Provinciae Austriacae (supra not. 6) et P.is Ottmann in Superiorem Provinciae Helveticae (supra not. 14) confirmavit, etiam electioni P.is Heilig in Superiorem Provinciae Belgicae confirmationem dedit (AG XII B 31).

(39) Mense ian. 1848 P. Ioannes Koemans Vice-Rector in Wittem nominatus est usque ad finem triennii currentis; die 18 XII 1848 Rector collegii est nominatus. *Monumenta Historica. Bijdragen tot de geschiedenis van de Nederl. Prov. der Redemptoristen* 5 (1953) 81-82. Cfr. H. MOSMANS, *Het Redemptoristenklooster Wittem*, Roermond [1935], 82.

(40) *Chronica Prov. et Coll. [Prov. Belg.]* II 359.

(41) *Ibid.* III 9 notatur adventus Fr. Scheby; *ibid.* III 29 notatur adventus PP.um Passerat et Smets. De adventu P.is Reyners in hoc fonte non fit mentio.

(42) Ita mihi benigne communicaverunt RP Chr. Oomen, epistula diei 18 XI 1958, et RP Alois. Saut, tabularius archivi Wittemiensis, epistula 6 VII 1966.

(43) RATTE Franciscus (1823-1893); cfr *Kurze Lebensbilder der verstorbenen Redemptoristen der Ordensprovinz von Nieder-Deutschland* I, Dülmen i.W. 1896, 251-256 et *Monumenta Historica. Bijdragen...* 2 (1950) 84-85.

(44) *Chronica Prov. et Coll. [Prov. Belg.]* III 27.

(45) Tornacen. seu Vindobonen. beatif. et canoniz. S.D. Iosephi A. Passerat. Positio super introductione Causae, Romae 1901. *Pars altera Summarii* (typis cusa an. 1898), p. 113 § 16.

Le Rme Père fut accompagné du R.P. Hub. Smets, luxembourgeois, du R.P. Joseph Reyners, belge, et du Frère Charles Firnig (46), scolastique autrichien, et à cause des troubles politiques et pour voyager avec moins de gêne tous portaient des habits séculiers. Les voyageurs n'avaient pas encore tous les trois (47) quitté la voiture, que toute la communauté se trouvait déjà devant la porte ouverte du couvent afin de les recevoir. Notre vénérable vieillard avait l'air bien épuisé et fatigué et dit en entrant ces touchantes paroles que tous nous pûmes entendre: « Ah!, mes chers frères, que le bon Dieu vous bénisse. Je viens pour manger chez vous le pain de grâce ».

Per paucos tantum dies P. Passerat in Wittem commoratus est (48). Diem profectionis in chronicis notatum non invenimus, sed epistula sua diei 5 maii P. Heilig communicavit P.i Bruchmann, discessum esse statutum pro altero die (49). Probabiliter ergo die 6 maii P. Passerat cum PP.bus Heilig et Reyners Wittem valedixerunt, Leodium se conferentes. P. Smets (50) et Fr. Scheby, itineris socii ab Altötting, in Wittem remanserunt (51).

Die 9 maii P. Passerat ad collegium Leodii advenit (52) cum P.e Reyners (53). Quinto post adventum die, 14 maii, Vicarius generalis longam instructionem sodalibus dispersis aut fortasse dispergendis dedit (54). Hebdomade ante Congregatio in Austria

(46) *Firnig* est mendum typographicum pro Zirnig, ut recte nomen scribitur in Transumpto Processus (in Cancellaria S. Rituum Congregationis asservato). P. Ratte ex lapsu memoriae ponit Fr. Carolum Zirnig pro Fr. Eduardo Scheby, qui iam a 40 annis Congregationem dereliquerat (vide Appendicem), quando relatio exarata est (1893; cfr *Pars altera Summarii* [Proc. ordinarii], p. 109).

Notitiae biographicae Caroli Zirnig dabuntur in Appendice.

(47) Uti patet: *quatre*. - Cfr Heilig ad Bruchmann, Wittem 5 V 1848: « Rev. mus P. Generalvikar ist glücklich mit seinen 3 Reisegefährten hier angekommen » (initium epistulae). *Spic. hist.* 6 (1958) 354.

(48) Certo errat RP Ios. Aertnys, affirmans in Processu ordinario beat. P.is Passerat, *Summarium*, p. 10 § 31, P. Passerat post expulsionem Vindobona per tres hebdomades in Wittem commorasse. Recte tamen RP Franc. Ratte in eodem Processu, *Pars altera Summarii*, p. 113 § 17: « Son arrêt actuel à Wittem n'était donc que de peu de jours ». Error RP.is Aertnys repetitur apud H. MOSMANS, *Het Redemptoristenklooster Willem*, Roermond [1935], 185 in nota 10. Cfr tamen *ibid.* 147 et *Monumenta Historica. Bijdragen...* 2 (1950) 84 et 3 (1951) 157. - *Chronica Prov. et Coll.* [Prov. Belg.] III 29: « ...paucisque [apud nos] transactis diebus, Sanctus Senex Leodium petiit ».

(49) Heilig ad Bruchmann, Wittem 5 V 1848: « ... morgen werde ich mit ihm [P. Passerat] und P. Reyners nach Lüttich reisen ». *Spic. hist.* 6 (1958) 354-355.

(50) P. Smets die 18 XII 1848 Consultor et Minister domus in Wittem nominatus est (*Chronica Prov. et Coll.* [Prov. Belg.] III 31). Die 15 XII 1851 (Vice-)Rectoris munus suscepit (*ibid.* 363). Usque ad diem 30 IX 1855 in Wittem remansit, variis muneribus fungens (*ibid.* IV 276).

(51) Etiam alii Patres et Fratres, profugi ex Austria, in Wittem refugium ad tempus invenerunt; cfr. *ibid.* III 29-30.

(52) *Ibid.* III 21.

(53) P. Reyners die 9 VI collegio in St-Trond adnumeratus est, ibique eodem die advenit. *Ibid.* 21 et 24.

(54) Exstant duae versiones huius documenti, ambae typis cusae. In prima versione habetur post subscriptionem paragraphus circa privilegia et facultates, quibus Congregati in

decreto gubernii imperialis suppressa fuit, die 8 maii (55). Interea iam incepta erat actio circa abdicationem P. is Passerat a munere Vicarii generalis (56), quae intra mensem ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium (57) et ad Rectorem Maiorem (58) missa est. - Renuntiatione accepta (59), P. Passerat mense octobris domicilium suum fixit in hospicio de Brugge, ubi die 27 decembris superioris munus suscepit (60).

## DOCUMENTA

1. - 1848 IV 17, Altötting. - Epistula P. is Passerat ad P. em Hugues, Romae. - Originale (tantum subscriptio autographa; epist. scripta est a P. e Ioan. Madlener): Arch. Prov. Coloniensis, Geistingen; photocopia in AG Epistulae P. is Passerat II (epistulae ad confratres).

J.M.J.

Altötting, 17. April '848

Mein vielgeliebter Mitbruder in Jesu Xto!  
P. Hugues!

Gott sey Dank. - Da bin ich glücklich aus Wien hier bey unsern lieben Mitbrüdern angelangt, um gleich nach den h. Osterfeyertagen (1) nach Belgien zu den Unsrigen abzureisen, wohin Sie mir auch sobald als möglich schreiben müssen.

Und zwar ersuche ich Sie, mir in Rom folgende Privilegien bald möglichst zu erwirken und nach Belgien zu übersenden. Erstens die Vollmacht, mit Zuziehung jener Patres, die ich haben kann, als Consultores (da die meinigen (2) itzt zerstreut sind und mir unbekannt, wo sie sind), alte Häuser der

---

dispersione viventes gaudent. In altera versione haec paragraphus in textum ut n. 7 inserta est. - In libro *Documenta miscellanea ad Regulam et Spiritum Congregationis nostrae illustrandum*, Romae 1904, 354-359 documentum editum est secundum alteram versionem (omissa ultima sententia sub n. 7); ita etiam in Processu ordinario beat. P. is Passerat, *Pars altera Summarti*, pp. 128-132.

(55) Decretum transcriptum invenitur in *Spic. hist.* 12 (1964) 55. - Decretum quo suppressio Congregationis in Ducatu de Modena edicebatur iam mense aprili erat editum. Cfr *Spic. hist.* 14 (1966) 424 n. 39.

(56) Documenta ad abdicationem P. is Passerat pertinentia edita sunt a P. e Zettl in *Spic. hist.* 6 (1958) 353 ss.

(57) Die 6 VI 1848; *ibid.* 367.

(58) Die 8 VI 1848; *ibid.* 368.

(59) Diebus 9 VII et 2 X 1848; *ibid.* 379 et 398.

(60) *Chronica Prov. et Coll.* [Prov. Belg.] III 22 et 35.

(1) Festum Resurrectionis Domini an. 1848 incurrebat in diem 23 aprilis.

(2) Consultores Vicarii generalis an. 1848 erant RRPP Martinus Stark, Franciscus Kosmacek, Ioannes Petrak, Leopoldus Michalek. - Cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 49-50.

Congregation aufzuheben und neue zu stiften; quoad vota mit den Individuen zu d'spensieren, et temporalia componendi et disponendi nach dem Bedarf der Häuser und der Individuen. Dann ebenso eine ähnliche Vollmacht für die zersprengten armen Klosterfrauen des allerh. Erlösers; und zwar da die Umstände höchst dringend sind, so bitte ich um eine unbeschränkte Vollmacht sine omni restrictione.

Denn — mein lieber Pater — Sie haben gar keine Vorstellung, wie wir in Österreich behandelt wurden; wie überwiesene Verbrecher und Unholde machte man auf uns eine Jagd. Die Patres wurden aus den Häusern frommer Bekannten herausgezogen und mit Wache hinausgeführt bis vor die Linien (3); dann konnten Sie, entblößt von allem, hingehen, wohin sie wollten. So in Wien (4), so in Eggenburg (5). - Die armen Nonnen in Wien und Stein retteten sich noch in weltlichen Kleidern einige Stunden vor dem Sturme; mußten aber öfters ihr Asyl wechseln (6).

Grüßen Sie mir, lieber Pater, den guten P. Haringer (7), wenn er noch bey Ihnen ist; ebenso den R.P. Superior von Monterone (8). - Ich hätte gern Ihren Rath wegen Niederlegung meines Generalvicariats befolgt (9), aber der Sturm kam dazwischen. Sobald ich kann, werde ich es thun (10).

Ich segne Sie.

Ihr Sie liebender Mitbruder und Diener in Xto  
Te salutans (11) P. Passerat  
Exilé

N.B. Der arme P. Madlener (12) grüßt hier als Secretaer ebenfalls seinen alten Freund P. Hugues und P. Haringer. Ach, oremus pro invicem, ut voluntas Dei in nobis tamquam electis fiat.

2. - 1848 V 3, Altötting. - Epistula circularis P.is Bruchmann ad Patres et Fratres Provinciae Austriacae. - Originale (tantum subscriptio auto-

(3) *Linie*: confinium urbis, intra quod cibaria et similia introducere non licuit absque vectigale soluto.

(4) Cfr *Spic. hist.* 12 (1964) 38 ss., 48 ss., 62 ss.

(5) Cfr *ibid.* 50-53.

(6) De expulsionem Monialium OSSR, vide *Spic. hist.* 7 (1959) 312-317.

(7) HARINGER Michael; cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 251 n. 67. - Post discessum Fratris laici Geminiani Lupi ratione infirmitatis « per compagno del P. Hugues venne dalla Baviera il P. Michele Haringer e stettero qui ambedue fino alla metà di autunno, cioè fino ai 24 novembre del 1848 »; *Notizie cronologiche dell'Ospizio e Chiesa di Monterone in Roma, 1815-1869*, p. 32. - Orig.: Arch. Prov. Romanae, Roma; photocopia in AG XIX H.

(8) Superior domus S. Mariae in Monterone tunc erat P. Dominicus Centore, Procurator gen. et Postulator causae S. Gerardi. - *Ibid.* 26.

(9) Epistulae P.is Hugues ad P.em Passerat desiderantur in AG.

(10) Documenta ad abdicationem P.is Passerat pertinentia edita sunt a P.e Zetl in *Spic. hist.* 6 (1958) 353 ss.

(11) Haec salutatio et sequentia a P.e Passerat m.p. scripta sunt.

(12) MADLENER Ioannes de Deo; cfr *Spic. hist.* 2 (1954) 258 n. 96 et biographiam a P.e Hosp scriptam in *Spic. hist.* 5 (1957) 353-403.



grapha): AG XXII R 3 (inter documenta domus de Finale). Versio italica abbreviata in *Elenco degli Ordini e Provvedimenti...*, p. 8-9 (inter documenta domus de Finale; AG XXII R 2).

Reverendis atque caris Patribus Fratribusque  
Provinciae Austriacae Salutem in Domino!

Reverendissimus in Christo Pater Josephus Constantinus Passerat, Vicarius generalis Congregationis nostrae cisalpinae (13), conscientiae tranquillitati salutique spirituali aequae ac temporali omnium praeaudatae Congregationis membrorum, in quantum hisce temporum angustiis fieri potest, consulturus, Nobis qua Superiori provinciali injunxit, ut hasce ad vos omnes, curae Nostrae atque charitati commendatos, litteras demus, vosque de Decreto ejusdem in Christo Patris Vicarii generalis certiores faciamus (14), videlicet:

1. - Nullum Collegium semetipsum propria se dissolvere poterit auctoritate, sed nonnisi vi aut Status decreto cedent legali.

2. - Si vero Collegium quodcumque tali modo disturbetur destruaturve, singula collegii membra a votis paupertatis et oboedientiae in tantum et tandiu dispensare intendimus et dispensata declaramus, in quantum et quamdiu in saeculo vivere necessitas coget.

3. - Ita in saeculo viventes, poterunt Sacerdotes beneficia ecclesiastica quaerere et acceptare, eorumque fructus percipere, omnique alio labore, studio vel modo a sanctis canonibus non prohibitis, prout et Fratres studentes clerici, Fratresve laici studio vel arte vel labore quocumque honesto sustentationem sibi procurare honestam.

4. (15) - Votum vero quod adinet paupertatis observabunt singuli, quod dispensare intendimus Congregationis membra, non ut luxui intendant, sed ut vitam tantum degere valeant honestam, prout in Congregatione consueverunt; nolumus tamen conscientiam eorum nimis scrupulis quoad victum sive vestitum agitari, sed normam proponere sacerdotum honestorum.

5. - Si vero contingeret quempiam Congregatorum haereditatem adire, quamcumque aliove modo pecuniam aut rem praetio aestimabilem adipisci, de iis semper disponere satagent pro nativa erga Congregationem pietate filiali juxta Regulas et Constitutiones Congregationis; poterunt vero de his omnibus disponere in tuta conscientia, in quantum ipsis indigent ad vitam degendam qualem supra descripsimus honestam.

---

(13) In documentis a Superioribus Congregationis Transalpinae (i.e. in regionibus sub septentrionibus Alpinae Iugae positis) illo tempore emanatis, Congr. *Transalpina* passim etiam Congr. *Cisalpina* denominatur.

(14) Ut patet, ordinationes a P.e Bruchmann hac epistula circulari promulgatae, datae fuerunt auctoritate P.is Passerat. Hac de ratione epistula hic transscribitur.

(15) Numeri 4-8 ad paragraphos desunt in exemplari epistulae cons. in AG XXII R 3; habentur tamen in versione italica abbreviata.

6. - Quoad votum oboedientiae, promptam semper oboedientiam praestabunt legitimis Superioribus, prout Rev.mo P. Rectori Majori, Nobis qua ejusdem Vicario, et Superiori Provinciali, a Nobis specialiter deputato, qui ordinem, in quantum fieri poterit, observari curet.

7. - Insuper omnes et singuli desiderium voluntatemque firmam nutrire in se tenentur redeundi in gremium Congregationis, quamprimum id fieri licebit, vocative fuerint a legitimis Superioribus. Sub hac conditione gaudebunt quoque in saeculo viventes omnibus privilegiis et gratiis nostrae Congregationi a S. Sede concessis.

8. - Non intendimus et non possumus dispensare Fratres clericos in sacris non adhuc constitutos et Fratres laicos de voto castitatis.

Dum igitur vobis, Fratres dilectissimi ac desideratissimi, haec Rev.mi in Christo Patris Vicarii generalis statuta communicamus atque decreta, rogamus vos omnes, in charitate Christi Domini Redemptoris nostri monemus et obsecramus, videte vocationem vestram, qua vocati estis (16), et nolite eam perdere; exhibeamus nosmetipsos prout dignos Dei ministros in omni patientia; nutrite in vobis semper spiritum orationis; modestia vestra nota sit omnibus hominibus (17), ut non vituperetur ministerium nostrum (18) et ut habeat nemo aliquod malum dicere de nobis; ponatis tandem, rogo, omnem spem totamque fiduciam vestram in Jesu Christo Domino nostro, Maria Sanctissima, Sancto quoque Patre et Fundatore nostro Alphonso, qui non permittent, nos tentari supra id, quod possumus, et in tentatione praestabunt auxilium ut possimus sustinere (19).

Valete in Domino!

Datum Vet. Oettingae ex nostro Collegio ad S. Magdalenam Poenitentem, hoc die 3<sup>o</sup> Maji A.R.S. (20) 1848.

addictissimus vobis  
P. Bruchmann  
Provincialis

P.S. Rogantur P.P. R.R. Rectores respectivi, ut has litteras nostras communicent iis quoque Congregatis, qui forte jam in saeculo dispersi fuerint.

3. - 1848 IV 23, Altötting. - Epistula P.is Passerat ad P.em Wenc. Zyka, Frohnleiten. - Transscripta ex Transsumpto Processus ordinarii beatificationis P.is Passerat (in Cancellaria S. Rituum Congregationis asservato), pp. 477-478.

(16) 1 Cor. I 26 et Eph. IV 1.

(17) Phil. IV 5.

(18) 2 Cor. VI 3.

(19) 1 Cor. X 13.

(20) Anno reparatae (redemptae) salutis.

J.M.J.A.T.

Altötting, hl. Oster-Sonntag 1848.

Mein lieber Pater Sika!

Pax Tecum et cum omnibus Confratribus!

Heute empfangen Sie Ihren lieben Brief und antworte auch gleich, da ich morgen schon nach Belgien abreise, um noch vor dem 1. May die gefährlichen Gegenden Deutschlands, wo ich durch muß, schon glücklich passiert zu haben.

Ich bin gesund und mit Gottes Gnade vereinigt. Vertrauen Sie und alle lieben Mitbrüder fest auf Den, ohne Welchen auch nicht ein Haar von unserm Haupte fallen darf (21). Alles muß den Auserwählten zum Besten gereichen. Werfen Sie all' Ihre Sorge auf den Herrn (22). « Sein Wille allein sei unser Wille - unsre Speise » (23).

Mich freut es, daß Sie Alle noch beisammen sind, aber ich rathe Ihnen und Sie werden gut thun, wenn Sie meinem Rathe folgen; ich rathe Ihnen also Allen, weltliche Kleider zu tragen. Ich weiß es und es freut mich, daß es Ihnen Allen schwer fällt, aber die christliche Klugheit rathet es nun einmal.

Beten wir für einander, lieben wir einander. - Ich segne Sie Alle.

Ihr Sie liebender Mitbruder in X.<sup>10</sup>

Jos. Passerat m.ppr. (24)

CSSR

Necessitas non habet legem (25);

permittit quicquid expedit, quod peccatum non est contra mandata.

## APPENDIX

### Notitiae biographicae Patrum Eduardi Scheby et Caroli Zirnic

Communitur damus quasdam notitias biographicas confratrum, quando eorum nomen primitus in his foliis occurrit. Huiuscemodi notitiae in notis ad calcem paginarum ponuntur. Hac vice tamen malumus notitias biographicas duorum confratrum in Appendice articulo subnectere, quia solito longiores sunt. Ratio maioris ubertatis eo invenitur, quod in relationibus bio-

(21) Lc. XXI 18; Act. XXVII 34.

(22) Ps. 54, 23.

(23) Io. IV 34.

(24) Manu propria.

(25) Proverbium germanicum: « Not kennt kein Gebot ».

graphicis exstantibus varii errores irrepserunt, quos corrigere bene visum est (*casu* Zirinig), vel etiam quia nobis nunc copiosiores notitiae prostant, quas studiosis historiae Congregationis subministrare utile videtur (*casu* Scheby).

## 1. - Eduardus Scheby

Natus die 3 X 1814 Köbenhavn (Dania), studia iuridica perfecit in variis universitatibus germanicis (Kiel, Heidelberg, Göttingen, Berlin). In lutheranismo natus et educatus, postea plane indifferens quoad religionem devenit; post gravem morbum ad fidem romano-catholicam se convertit an. 1846 Vindobonae, interveniente P.e Ioan. Madlener CSSR (1).

Veste redemptoriana indutus est die 10 VI 1847 in Altötting (2), ubi annum probationis persolvit et die 23 IV 1848 vota emisit (3). Una cum P.e Passerat aliisque sociis postero die, 24 IV, iter ad collegium in Wittem aggressus est; ibi advenit die 4 V et remansit, uti in articulo narravimus. Postquam studia theologica in eodem collegio ann. 1848-1850 (4) perfecerat, ibi sacerdotio auctus est die 16 VI 1850 (5). Communitati Wittemiensi adnumeratus est mense sept. 1850 (6); a Wittem profectus est die 19 X 1852 (7), dispensatione votorum obtenta (8).

Die 6 XI 1852 advenit ad monasterium Patrum Trappistarum in Oelenberg (Mont-des-Olives, Francia), ibique die 13 XI vestem Cisterciensium strictioris observantiae induit ac vota emisit die 8 XII 1853 (9). An. 1861 cum duobus aliis Patribus missus est ad prioratum Mariawald (Nemus B. Mariae, Germania; apud Aquisgranum), ubi advenit die 18 V et noviciorum magistri munere functus est (10); a die 10 VII 1866 fuit Prior (11) usque ad suppressionem an. 1875 tempore s.d. « Kulturkampf ». Postea commoratus est in nova fundatione « Landzicht » (Deurne, Neerlandia) et in abbazia Sept-

(1) Scheby probabiliter mediante amico Lebrecht Dreves P.em Madlener cognovit. - Cfr *Spic. hist.* 5 (1957) 397; ROSENTHAL (cit. infra) 335.

(2) *Chronik des Hauses Altötting* II 118-119.

(3) Professio non notatur in chronica supra citata.

(4) *Chronica Prov. et Coll.* [Prov. Belg.] III (1848-1851) 9, 15, 173, 178, 297.

(5) *Catalogus oblatores clericorum [Collegii Wittemiensis]* 17 n. 66, ubi notatur Scheby die 16 VI 1850 in Wittem sacerdotem consecratum esse ab Exc.mo I. Paredis, episcopo de Roermond. Hanc notitiam humanissime nobis subministravit RP Alois. Saut, archivi collegii de Wittem praeses, epistula diei 2 VI 1967. - Eadem epistula variae aliae notitiae circa Scheby in documentis et registris eiusdem archivi contentae nobis comiter transmissae sunt, quae cum notitiis desumptis ex documentis in AG conservatis plane congruunt.

(6) *Chronica Prov. et Col.* [Prov. Belg.] III 298.

(7) *Ibid.* IV (1852-1857) 59.

(8) In epistula diei 5 XII 1852 Vic. gen. Rud. von Smetana scribit ad P.em Brix. Queloz, socium Procuratoris generalis, Romae degentem, se nondum recepisse a Rect. Mai. Vinc. Trapanese confirmationem dispensationis P.is Scheby, quam rogaverat die 5 X (AG XV C 7).

(9) *Catalogus vestitionum et professionum in Oelenberg (ordine chronologico secundum tempus ingressionis digestus)* n. 148.

(10) *Chronik von Oelenberg* V 36.

(11) *Ibid.* 104.

Fonds (Francia); ab an. 1880 vero apud monachas Cistercienses in Mariastern (Maria Stella, Saxonia; apud Dresden), ubi in Domino obdormivit die 7 X 1887.

*Bibliographia.* - Index chronologicus choristarum qui in Prov. Belgica CSSR [ab an. 1840] ad mensem usque Majum 1855 dispensati vel expulsi fuerunt, n. 14 (AG Pr.B XV a); Cat. XIII 75 n. 542; *Catalogus CSSR Transalpinae ineunte anno MDCCCLII*, Monachii [1852], 52; D. ROSENTHAL, *Convertitenbilder aus dem XIX. Jahrh. I. Deutschland, 2. Teil*<sup>2</sup>, Schaffhausen 1872, 340-342 (dies nativitatis erronee indicatur: 3. November 1814).

Notitiae circa vitam P. is Scheby post discessum a Wittem mihi benigne communicatae fuerunt a RP. e M. Tarcisio, monacho in Oelenberg, epistula diei 29 XII 1958, in qua fontes affirmationum in monasterii archivo conservati accurate recensentur. Maxima eum prosequimur gratia pro hoc auxilio, comiter nobis praestito. - Circa monasteria, ubi commemoratus est P. Scheby, cfr L. COTTINEAU OSB, *Répertoire topo-bibliographique des abbayes et prieurés II*, Macon 1939, 1894 (Mont-des-Olives), 1749 (Mariawald), 3010-3011 (Sept-Fonds), 1749 (Mariastern).

## 2. - Carolus Zirnig

Natus est die 23 IX 1827 Mährisch Trübau, Kronland Mähren, Österreich, archidioec. de Olmütz, nunc Moravska Trebová, Ceskoslovensko, archidioec. de Olomouc. Tempore studii philosophiae in universitate Vindobonae cognovit P. em Madlener, eiusque interventu vocatio ad nostram Congregationem maturavit (12). Veste redemptoriana indutus est die 7 XII 1847 Eggenburg in domo noviciatus Prov. Austriae; ob suppressionem Congregationis in Austria (13) profectus est in Belgium et noviciatum continuavit in St-Trond, ubi vota emisit die 8 XII 1848 (14). Postero die, 9 XII 1848, advenit in Wittem ad studia theologica prosequenda (15); diebus 17 et 19 X 1851 a Wittem in Altötting profecti sunt octo clerici, inter quos Zirnig (16). Sacerdotio auctus est die 27 III 1852 Ratisbonae (17).

Usque ad an. 1860 laboravit in Bavaria, postea in Austria ut missionarius indefessus. Mortuus est die 16 I 1883 in castello Frohsdorf comitis de Chambord, ubi vices cappellani gerebat, adscriptus domui in Katzelsdorf.

*Bibliographia.* - Cat. XI<sup>a</sup> n. 92; Cat. XIII 78 n. 561; Catalogus novitiorum choristarum [noviciatus in St-Trond] 49-50 n. 199 (ms in APr.B); Catalogus oblatorum [noviciatus in St-Trond] 179 n. 174 (ms in APr.B); Catalogi impressi CSSR ann. 1852, 1856, 1859, 1863, 1867, 1884 (descripti in *Spic. hist.* 4 [1956] 204); *Litterae annales de rebus gestis Prov. Austriae CSSR an. sal. 1883*, Viennae [1884], 22; MADER 488-490. - Cat. XIII, *Litterae* et MADER erronee dicunt, Zirnig in Wittem vota emisisse et sacerdotio initiatum fuisse.

(12) *Chronica et labores apostolici Prov. Austriae I* (1820-1865). 104 (ms in AG Pr.A).

(13) Circa suppressionem domus in Eggenburg, cfr *Spic. hist.* 12 (1964) 50-53.

(14) *Chronica Prov. et Coll. [Prov. Belg.] III* 7.

(15) *Ibid.* 17. - Ut clericus studens notatur *ibid.* 177 et 188 (an. 1849), 285 et 297 (an. 1850):

(16) *Ibid.* 351. Cfr etiam *Chronik des Hauses Altötting I* 202.

(17) Cfr *Chronik des Hauses Altötting I* 240.